Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 

Quelle:
Copyright:



*Quis mihi ruricolas aptabit carmine Muſas;*

apud alterum vero:

*Qui mihi ruricolas optavi carmine Muſas.*

*Cuſpiniani* primum fuiſſe praeclarum hunc Codiculum, docet Hexaſtichon thecae poſticae inſcriptum: *Liber ad Lectorem.*

*Scire cupis, cuinam liber ipſe ego ſervio ſervus?*
*Dicere ſi poſſem, lingua parata foret.*
*Tu tamen hoc triplices monogrammate diſce figuras,*
*Quis ſine me domini nomina ſcire potes.*
*Hic quondam muſas, medicam ſed nunc colit artem,*
*Hęc ſtudia, has artes Cuſpinianus amat.*

Oblitus eſt, quod memorat, *Monogramma* adpingere. Eſt vero illud, ut in aliis ejus Libris comparet, tale ⟨M⟩. Quod lege: *Cuſpinianus Medicus Poeta.* Igitur parum abit ab illo *Celtis* ⟨II⟩, quod legendum *Conradus Celtis Protucius Poeta.* Haec monere viſum, quia Libri alterutro ſignati paſſim per Bibliothecas vagantur. A *Cuſpiniano* porro Exemplum noſtrum ad *Joh. Fabrum* Ep. Vienn. devenit, id, quod teſtatur non ſolum anteriori thecae adglutinata Formula impreſſa, ſed etiam principio et calci manu adſcripta, et quidem manu *Joh. Sebaſtiani Pfuſer*, de quo Viro ad *Lutherum* deinceps digreſſo dixi in vernac. *Memorabilib. Bibl. Garell.* p. 293. et in *Hiſt. Typogr. Vien.* p. 431. Fuit is igitur juvenis in contubernio et diſciplina *Fabri*, qui ſi ſupervixiſſet, quod Magiſtris toties uſuvenit, dicere poterat:

*Deplorata Coloni*
*Vota jacent, longique perit labor irritus anni.*

## CCXXXII.

U. 22 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 103. f. oblongo nitide exaratus, rubricis ubertim diſtinctus, et quondam docti ICti noſtri *Joh. Alex. Braſſicani* continet *Auroram*, ſive Biblia metrica *Petri de Riga*, qui Can. et Cantor Eccleſiae *Rhemenſis* diem obiit a. 1209. Operis hujus Exemplaria X. deſcripſimus *Vol.* ſuperiore a *pag.* 327. *Codd.* CXXV —XXXIV. undecimum vero *Vol.* praeſenti. Dabimus igitur et praeſentis *διαγνωσιν*. *Incipit Prologus in novo teſtamento:*

*Poſt*